potest uitare fragilitas. ut est uerbum doli.
detractionis. maledictionis. superbię. iactantię.
excusationes in peccatis. emulationis.
dissensionis. heresis. mendacii. periurii. sed
et ociosę necnon etiam superfluę locutionis.
in his quę necessaria uidentur. In quo nimirum
uerbo quisque se sine offensione custodit.
hic perfectus est uir. Qui enim custodit os suum
et linguam suam. custodit ab angustiis animam
suam. Potest etiam freno circumducere totum
corpus. Pendet hic uersus a superiore.
Si quis inquit in uerbo non offendit hic perfectus est
uir. et hic potest etiam freno circumducere
totum corpus suum. Quod est aperte dicere.
si quis lapsum linguę qui pene inuitabilis est
cauet. hic consuetudine fixa eiusdem continentię